



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

3 Testamenti veteris praecepta quaedam iudicialia, quaedam moralia, &
quaedam ceremonialia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

POST tractatum de voto, quo erga Deum ad pie promissa præstanda religiose tenemur, commode modò ad

decimas, quæ ex jure divino ipsi Deo, ejusque Ecclesiæ eadem ferè ratione debentur, transeundem duxi: quarum quæstiones licèt à pluribus, & quidem copiosissimè tractatæ fuerint, de quibus per Rebuff. in *particulari suo tractatu*, Covar. in *c. 17. lib. 1. var. resolut.* Alexan. Monet. qui de illis etiam tractatum edidit, & ultimo Azor. in *lib. 7. insit. mor. cap. 34 35 36. & 37.* nihilominus super his pauca, & practicabilia attingere decrevi, & ommissis disputationibus, & verborum ponderatione ad illius diffinitionem me confero cum Hostien. qui in *sum. de decim. & primit. ait*, decima est omnium bonorum mobilium licite quæditorum pars decima, Deo data, constitutione divina debita; & Rebuff. in *d. tract. de decim. g. 4. in princip.* & decima proprie dicitur de decem partibus una, quando dicitur integra. Rot. in *novis. decis. 165. n. 3. par. 2.* quo autem jure debeatur, sæpius quæri solet.

Primo, quòd decimæ debeantur ÷ lege naturali, patet de Abraham, & Jacob. *c. 1. §. his itaque 13. qu. 1. c. decimas Deo, 16. q. 7.* & Covar. *lib. 1. var. resolut. c. 16. nu. 2. vers. quarto juris naturalis.*

Secundò, jubentur dari lege divina *c. decimas à populo, c. revertimini, 16. quæstio. 1. Rebuff. eodem tract. de decim. qu. 1. n. 9.* Monet. *eodem. c. 1. num. 5.* & Rot. *decis. 14. nu. 2. de jud. in nov.*

Tertiò, dari jubentur de jure canonico, *c. 1. cum pluribus sequentibus, 16. quæst. 7. c. commissum, & tot. tit. ext. de decim. & ubique in 6. & Clem. eod. tit.* Monet. *eod. c. 1. numer. 18.* Conc. Trid. *12. de resor. sess. 25.*

Covar. *d. c. 17. num. 2. vers. & præter hos, & Rot. eod. num. 2.*

Sciendum est tamen, præceptorum ÷ veteris testamenti quædam esse judicialia, quædam moralia, & quædam ceremonialia, ut per gloss. in *c. 1. de decim. in 6. & in cap. ult. 6. dist.* Judicialia pertinent ad justitiam hominibus exhibendam, jusque unicuique tribuendum, ex quibus leges veteris testamenti censentur, quarum observatio iudicibus ipsis incumberebat, ut proximo redderetur, quod suum esse constaret, *Instit. de just. & jur. in princ.* paxque & concordia absque ullius injuria tutissime custodiretur.

Moralia ad dictamen legis naturalis spectant, ut quilibet virtutes ipsas exerceat, nihilque agat ab ipso naturali jure alienum.

Ceremonialia verò de his agebant, quæ ad cultum divinum, ad reverentiam, honorem, & obsequium Deo exhibendum statuebantur, & Paul. *ad. Rom. c. 7.* scribit, dicens, *itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, justum, & bonum*, quibus verbis, mandatum sanctum, ad ceremonialia: justum, ad judicialia: & bonum, retulit ad moralia, ut inquit, S. Thom. *par. 2. qu. 99. art. 4.* & Covar. *d. c. 17. n. 1.*

Præceptorum ÷ eorundem judicialia & ceremonialia evangelica lege lata, omnino cessaverunt, vimque præceptorum amiserunt. Quoniam, antequam veniret fides, sub lege custodiebantur conclusi in ea fide, quæ erat revelanda: adeò quòd lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificaremur, ac ubi venit fides, jam non sumus sub pædago, Paul. *ad Gal. c. 3.* iterum, quid dicit scriptura? ejice ancillam, & filium ejus, non enim erit, hæres filius ancillæ